



Χάριτι Ἰησοῦ Χριστοῦ.

I.

**J**USTIFICATIO, Nomen ecclesiasticae autoritatis & usus, Latinis est *Probatio* vel *Approbatio*: Judicium & sententia, quâ Quis, vel Quid, pro justo habetur: *Absolutio*. Formatum à consimili Verbo, **J**USTIFICARE: quod Latini dicunt, *Justum censere* seu *judicare*: *Pro justo habere*: *Justum pronunciare*: *Absolvere*.

Componitur ex *Justus*, & *Facio*, i.e. *judico*, *reputo*. *Justus* autem à *Justitia*, & hæc à *Jure* denominationem habet.

Opponitur illi: *Improbatio*, *Damnatio*.

S. 2. Græcis *Δικαίωσις*, presè-vertendo, *Justatio* appellatur. A' *Δικαίω*, presè, *Justo*, *as*, *are*. Glos. Cyrill. exponit: *Justifico*, *Æquum censeo*. Vulgo tam de Re, quàm de Personâ, capitur. Duo præcipuè denotat: *Δίκαιον νομίζω*, *Justum reputo* vel *censeo*: & *Κολάζω*, *Punio*. Suid. Hesych. Phavor. Posteriore tamen significatu in S. Codice non usurpatur.

A' *Δίκαιος* *Justus*: quod à *Δίκη* descendit, id est: 1. *Jus*, *Justitia*, *Meritum*: 2. *Dica*, *Lis*, *Judicium*. 3. *Pæna*, *Supplicium*.

Opponitur ei, tum *Ἐγκλησις*, quæ & *Κατηγορία*, *Accusatio*: Luc. VI, 7. Joh. XVIII, 29. ab *Ἐγκαλέω*, *In jus voco*: tum *Κατάκρισις*. *Condemnatio*. quæ & *Κατάκριμα*, & simpliciter *Κεῖμα*, *Judicium*. Id quod aliàs *Κεῖμα θανάτου*, *Judicium* sive *sententia mortis*. Vid. Luc. XXIV, 20.

Perinde, Verbo *Δικαίωσαι* opponitur *Κατάδικάζουσαι*, *Condemnari*: Matth. XII, 37. Idem valet, *Κατάκρινουσαι*, *Damnari*: Matth. XXVII, 3: & absolutè sic ponitur, pro *Κατά*